

Lettera del Secreto di Calabria

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Lettera del Secreto di Calabria

1324-12-16

Nobili viro iudici Ioanni Scilando de Stilo, Carissimo amico suo Ioannes de Lugarde de Fundis Secretus Ducatus Calabriae salutem, et dilectionem sinceram. Pro parte virorum nobilium Domini Fulconis, et Domini Gulielmi de Sinopolo fratrum praesentate fuerunt nobis quedam Ducales Patentes Litere, magno sigillo Ducali pendente munito, continentie subsequentis.

Volumus igitur et fidelitati vestre presentium tenore committimus et mandamus expresse quatenus statim receptis presentibus memoratos dominum Fulconem, et dominum Gulielmum fratres, seu eorum procuratores, seu nuncios presentium ostensorem in possessionem dicti tenimenti in prescriptis bonis, ut praedicitur, consistentis, eiusque iurium, et pertinentiarum omnium, cum hominibus, et vassallis iam dictis, inducas auctoritate presentium in corporalem, eisque intendi, et responderi facias ab hominibus et vassallis eisdem de omnibus in quibus tenentur, et debent fidelitate paterna, et nostra, predistinto annuo censu, et maiori, et maiori proinde debito aliis Regie nostrequae Curie, et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis.

De esecutione vero presentium cum forma earum, facias tria publica consimilia instrumenta quorum uno tibi retento, tui ratiocinii tempore producendo, alio prenominationis fratribus, vel dictis eorum procuratoribus, aut nunciis traditum, tertium ad nostram Curiam mittas in Archivo ipsius Curie conservandum. Datum Neapoli anno domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Die sextodecimo decembris, none inditionis, regnorum dicti domini patris nostri anno septimo decimo.